alios, qui hoc ius Diuinum tam acriter oppugnarent. Inter quos te esse mi Alphonse cum R.do Patre Layna pro uetere nra amicitia non possum non dolere. Optarem quidem certe, ut si ipsa uobis persuadeat ueritas, et ura dictet conscientia iuris esse Diuini residentiam, diuum imitati Augustinum, caneritis palinodiam. Digni certe estis qui omnem ingenij et doctrinae uestrae uim, quae est longe maxima, in hoc conferatis, ut iuris Diuini statuatur esse residentiam, et quod tot iam seculis frustra desideratum est reparetur lapsa Ecclesiastica disciplina. quod nisi fiat in hoc Concilio Deus mala prohibeat, quae uideo impendere ordini Ecclesiastico. Iam enim uidere licet egressam iram Dei, quae iam gladium suum uibrauit, arcum suum tetendit, et in eo parauit uasa mortis. Non possum certe non timere ne si peccata nostra non corrigamus, et ut melius in posterum uiuatur prouideamus, euenturum tandem sit quod praedixit Sibilla nempe ῥώμην futuram ῥύμην Et forte ex uno, ex septem collibus ingentem eius ruinam aliquis conspicatus magna uoce exclamabit Ecce Babylon magna etc. Hoc ne accidat Deus est a nobis precibus ac poenitentia placandus, et restituendo lapsam Ecclesiasticam disciplinam reconciliandus. Ad hoc persuadendum ut fiat si omnes uros ingenij et doctrinae neruos intenderitis, ea quae uos decet feceritis, et a Deo maximam mercedem, nempe immortalem gloriam referetis. Vale Tridenti in meo cubili V. Cal. Apr. 1563

1. Romam
2. ruinam

(48)

Epistola F. Petri Soti, quam moriens dictauit, et ad summum Pont. mitti mandauit XVI Calend. May 1563

Beatissime Pater post beatorum pedum oscula

Nuper scripsi quaedam ad R.mum Cardinalem Amulium, quae mihi uisa sunt maxime pertinere ad honorem, et gloriam Dei, atque etiam ad leuandam, et exonerandam conscientiam meam, ut ea uidelicet meo nomine familiariter proponeret S.ti Vrae tanquam supremo Christi in terris Vicario ac de me etiam semper optime merito.

Nunc aut

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

UGR Biblioteca Universitaria

Nunc aut. cu morbi magis, ac magis ingrauescente, et appropinquante morte, magis etiam urgebar conscientia, nec fuit mihi pigrum lingua iam balbutiente eadem dictare atq scribere ad S. V. Hæc igitur sunt, quæ proponenda atq inculcanda Sti. V. in extrema uitæ meæ hora existimaui maxime. Ante omnia aut. Stas. tua residentiam Episcoporum, et aliorum omnium Ecclesiæ ministror. non solum dilucidè, et apertè in Conc.o quo iure sit definiri curet, sed etiam efficaciter a se, et ab omnibus obseruari, et ut apertè dicam. Cardinalibus aliundè prouideri, et non ex Episcopatibus. quod si fecerit, non solum nihil deperibit aucti et cōmodis S.mæ sedis, et S.tis tuæ, sed etiam q plurimum augebitur, si uerò non fecerit non dubito, multu sedem Apostolicam amissuram, et S.tem Vrām ultimam damnationem in iudicio Dei incursuram. Episcoporum munus, auctem et officium a Christo dnō esse ipsosq Epōs ab eodem Christo immediate datos Ecclesiæ sed sub uno ipsius Christi Vicario successore Petri Stas. tua curet disertissimè declarari, quod semper docuit Ecclesia, nec permittat inter se, et Episcopos ullam diuisionem. Est enim reuera Episcopatus S.tis Vræ, et omnium aliorum Episcoporum unus, et idem in quo tamen Episcopatus S.tis tuæ primatum tenet Nullo modo decet, ut Ap.cæ sedis dignitas alios deijciat, quos agnoscere debet positos esse ab ipso Christo regere Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisiuit. Ego igit. uiuens et moriens testor, Deū S.tem tuam superiorem esse omnibus Concilijs, nec posse ab eis ullo modo iudicari. idq ut apertè definiatur in Ecc.a p credo plurimum expedire. quando contrarium uerget manifestè ad seditionem bella, atq scismata in Ecc.a Ultimò denīq S.tas tua curet ut nullus ordinetur, neq ministret nisi probatus a proprio Episcopo, nam illa facultas suscipiendi ordines a quocunq parum lucri affert curiæ Romanæ, et sufficiens est ad detrudendum in infernum id concedentis. Demiq S.tas tua ex beneficijs quæ ad prouisionem suam pertinent curet non utilitatem suam. uel suor. ministror., sed salutem animarum, et bonum illarum Ecclesi,,

Nunc aut

Ecclesiarum in quibus sunt praedicta beneficia. Haec Apostolicis S.tis tuae pedibus prostratus ex infirmitatis meae lectulo dixisse sincerissimo affectu mihi sit satis. Pro quibus, et caeteris omnibus, quae stulte dixi humillime ueniam peto. testatus me semper iuxta conscientiam Dei gloriam sedis Ap.cae autoritatem S.tis tuae bonum desiderasse, et quaesiuisse pro mea tenuitate. Dat. Tridenti XXV Apr. M. D. LXIII.

Beatiss.ae S.tis V.rae

obijt XX. Apr. 1563. sepultus apud D. Laurentii. ord. Praedicator. Tridenti

Humillimus seruus

Fr. Petrus Sotus

UGR Biblioteca Universitaria